

En tibi diu promissum, diutius agitatum Manilium; absolutum etiam, quantum id quidem per ingenium industriamque et annorum data tempora licuit. Neque enim ab ingenio quidquam intentatum reliqui, quin in mirifici hominis indolem atque artem plane et penitus me quasi insinuarem; neque industria ullum reformidavit laborem, quo ad verum vel inveniendum vel stabilendum perveniretur; anni autem a contracta poetae familiaritate multi, a primo edendi consilio viginti amplius praeteriere. non quod continuis semper studiis opus urgerem, sed ut, quum aliquantisper refrixisset, identidem retractarem, atque anima recuperata lentisque brachiis, quae parum prudenter procusa viderentur, diligenter recuderem. Ita factum est, ut neque a die, qui optimus discendi magister est, neque ab ingenio, quod suis in unoquoque finibus circumscriptum non ultra potest intendi, magnum aliquid accessurum sperarem, propter quod diu refotus et maturus quodam modo hic fetus contineretur.

Quem velim grati ii accipiant, propter quos editus est. quod non meam ob causam exopto; quamquam quis tam inhumanus fuerit, quin lubenter meritam laudem colligat? sed quia non sine dolore saepe per vitam plurimos expertus sum, qui quam suave esset, alicui aliquid debere parum noverunt. Itaque ipse ego nihil prius nec potius habeo, quam ut eis omnibus gratissimum animum profitear, a quibus aliquo modo in exantlando hocce labore adiutus sum. In quibus eos prae ceteris nomino, qui

data opera ante me in Manilio desudarunt, Scaligerum, Bentleium, Pingreum; deinde alios mente complector paene infinitos, qui si sua res ita ferebat, praetereundo ei poëtae consultum voluerunt. Quos, quantum scio, omnes neque festinanter percucurri, et sine ira atque studio in consilium semper adhibui. Sin autem et paucos et raros per opus ipsum laudari videbis, non ego eorum vel ignorari beneficia vel imminui laudem cupio; sed feci duntaxat, quod lex operis iubebat. Posteaquam enim multa et magna molitus fui, postremo me, ut vides, multas propter causas, in breve contraxi in eoque cohibere statui, ut non per ambages, quibus ipsi mecum vera indagarent, lecturos producerem, sed ut breviter atque simpliciter vera inventa, quae mihi quidem viderentur, proponerem. Nam consilium huius operis mei, ut paucis concludam, id fuit, ut memorabile hoc antiquitatis monumentum, quod et rebus et verbis longe a plerisque aliis discreparet, sed a librariis foede esset contaminatum, purgarem illud quidem a contractis situ maculis, sed ut magis etiam ac reverentius mihi caverem, ne quid, quod suum esset et antiquum, quantumvis nos novitate erigeret atque percelleret, detergeretur. ita enim aliquando ad eos artis nostrae usus hoc carmen patefieri posse visum est, a quibus ad hunc usque diem fere totum exclusum fuit. In quo ut suum cuique iudicium incorruptum relinqueretur, simplicitate ante omnia opus fuit. Itaque eos quidem, quibus aliquam vel interpretationem vel emendationem debebam, suo quemque loco, omnes nominatim citavi; eos vero, qui multi sunt, qui me vagis coniecturis ad veri limina interdum duxerunt, quum eorum errores tacerentur, ipsos nominare non potui.

Multo autem maior eis haud dubie gratia debetur, qui quum suae benignitati obsecuti, tum meae industriae meoque bonarum artium studio confisi cunctos fontes, quibus hosce meos hortulos irrigarem, liberaliter aperuerunt. Namque interpretibus viris prae-

stantissimis — heu quanta ex parte iam fato functis! — G. Schaefero et J. Geelio Bibliothecae Leidenses; C. Lachmanno et Fr. Wilkenio Berolinenses; Chr. Jahnio Lipsienses; O. Müllero Göttingenses omnes mihi suas copias largas tradiderunt; J. vero Bekker, O. Jahn & Theod. Oehler Venetiis Romaeque et Bruxellis codices propter me benigne vel inspexerunt vel exscripserunt.

His igitur de opibus ita disputabo, ut seiunctos a ceteris codices cum uniuscuiusque iudicio praemittam, deinde reliquarum brevem proponam dinumerationem.

Omnes igitur Manilii codices, ut plerique sunt alii scriptores Latini, ex uno exemplari descriptos ad nos pervenisse certissima res est. Non enim solum eosdem versus et in opere ipso et in poematis fine omnes omittunt, atque eandem interpolationem, (cf. ad I, 565, ut alias taceam) qua laceratum codicem resarcire sibi videbantur, omnes referunt; sed consentiunt etiam cuncti in ea versuum conturbatione, quae librum I a versu 354 occupat atque inde exorta est, quod in illo exemplari, unde omnes nostri codices prodierunt, duo folia ita complicata erant, ut singularum paginarum viceni et bini versus praepostero ordine sese exciperent. Id autem vetustum exemplar fidissime exprimit codex Leidensis, qui illic sub Nr. 390 conditus plerumque Vossianus, a me secundus, nominatur, quia ex bibliotheca Isaaci Vossii, qui optime eius praestantiam intellexerat, illuc translatus est. Cum enim ceteri libri alii rudiores alii doctiores interpolationes proferant, hic, nisi quae omnibus libris nostris antiquiores sunt *), habet nullas. Eum igitur codicem quamquam recentissimus est; subscripsit enim librarius annum 1470; prae ceteris tamen in carminibus restituendis secutus sum. Sed cum idem liber ex

*) Ab ipso Sylvestro venire versus suppositos interdum suspicari soleo ex lib. IV, 776: Qua genitūs Caesarque meus nunc condidit orbem. Refero enim ad Ottonem III; quamquam me ignorare profiteor, an is sub Libra natus sit.

corruptissimo exemplari manaverit, et librarii ignorantia atque simplicitas plurimos errores sponte addiderit, fieri non potuit, quin ceteri meliores alia diligentius descripta alia prudenter emendata haud pauca tradiderint; quae si vera videbantur, undecunque fluxerant, non minus erant in carmina recipienda, quam quae alii interpretes recentioris memoriae ad poëma corrigendum sagaciter excogitaverunt.

Eum autem librum primus ad poëtam emendandum, continua quidem opera, R. Bentleius contulit. Sed neque ipsa collatio codicis, ut deinde mihi patuit, postquam ex Bibl. Gottingensi ed. Scal. an. 1600 ad me pervenit, cuius margini in usum Bentleii adscripta est, satis est diligenter curata, neque Bentleius ea constantia, quam nunc sequimur, librum consuluit. Mihi quidem ad eum aditus primus datus est per collationem Ezechielis Spanhemii, quae inter libros Diezianos, de quibus infra dicendum erit, asservatur; deinde codicem ipsum benignitate Geelii inspicere concessum fuit; quod tanta cum accuratione feci, ut ter quaterve instituta comparatione vix mihi quidquam se subduxisse videatur. Postremo Gottingensem collationem contendere contigit.

Alter et huic auctoritate proximus codex Lipsiensis est, qui in bibliotheca Paullina sub Nr. 1465 asservatur. Qui qua aetate scriptus sit parum inter peritos earum rerum iudices constat, dum enim alii ad seculum XIII referunt, alii seculo demum XV natum esse affirmant, quamquam mihi quidem non persuadent. Sed id quidem dissolvere minus nostra interfuerit, quam illud tenere, eum non solum a pluribus esse librariis descriptum, quos, quia eiusdem seculi simillimaeque manus sunt, nescias utrum duos an tres dicas, ad eosque accedere (praeter manum plane recentem seculi XVI, quae nihil digni habet) correctorem alium, qui pessimorum librorum interpolationes superscribere et accusativos in *i* factos mutare in *e* soleat; sed etiam, quod maius est, non ex uno codice hunc totum fluxisse, sed quum initio liber

Vossiano secundo simillimus exscriberetur, deinde transitum esse ad librum interpolatum, qualis fere Cusanus est, vel Vossianus primus. Meliores vero eae lectiones pleraeque omnes erasae atque interpolatae ab eadem manu rasurae inscriptae sunt. Neque minus poëmatici ipsa inscriptio erepta est, quae nunc quidem, ut in interpolatis aliis, haec est: ARATI PHILOSOPHI ASTRONOMICON | LIBER PRIMVS INCIPIT | PRELIBATIO; quid autem sub verbis A. PH. A., quae rasurae inscripta sunt, fuerit, dignosci non potest. Non tamen plane conspirasse cum inscriptione Vossiani ex spatii angustiis liquet; hic enim habet: M. Mallii EQVOM (fortasse voluerat, EQROM) astronomicon | diuo oct quirino augl proemium lib' pr' | .

Eius libri copiis Bentleius ante me usus est. Sed qui collationem curant, quum rasuras neglexissent, non optime sagacissimi viri industriam adiuvisse censendi sunt. Mihi quidem exscribere ipsum codicem atque omnes apices legere licuit; quod quam grato animo eis debere me profitear, qui hoc mihi concessere, verbis dici non potest.

Tertium iam numero, quem ante me Scaligero et Bentleio auctoribus omnes omnium principem habuerunt, Gemblacensem. Et est sane is liber et antiquitate et lectionibus praestans; sed aperte interpolatus, atque eo cautius adhibendus, quanto speciosiores pleraeque interpolationes a prudenti admodum homine profectae in errores nos facile pellicere possint. certissima autem interpolationis testimonia, ut pauca hic proferam, habes I, 332, 344, 398, 401; quamquam mihi quidem etiam haec certa sunt, I, 13, *vacat*, et 40, *Et natura dedit*; verum enim iudico, *Naturaeque dedit*; 130, *sumptum est*, alia. Aetate tamen omnes facile superat. Scribit enim de ea ad me Th. Oehler: Codex Gemblacensis, nunc Bruxellensis, n. 10012 mbr. in 8^{vo} saec. XI. etc. Similia fere Benth. in praefatione tradidit, nisi quod ullum poëtae nomen a scriptore codicis additum fuisse negat. Quod mihi qui-

dem haud verisimile videri solet. Nam quum unum tantum huius poetae exemplar aetatem tulisse probaverimus, is autem, ex quo primum innotuit, a Sylvestro II statim Manilii nomine sit nuncupatus, idemque nomen in Vossiano, qui ab antiquo eo exemplari unice pendet et ab omni recentiore interpolatione alienissimus est, retineatur; consequens esse dixerim, ut in codice tam diligenter exarato ipsa quoque inscriptionis omissio non ad casum sed ad consilium referatur. quod fecit Bentleius. mihi autem talis crisis ab illo aevo abhorreere plane videtur. Quapropter magis probo, quod Th. Oehler ea de re scribit: „Inscriptioni veteri, libro olim praefixae, manus recentior (fort. saec. XV exeuntis) substituit hunc titulum: Mālius poeta.“

Hunc igitur librum Jacobi Susii excerpta nactus primus in Manilii usum vocavit Jos. Scaliger; atque summa eruditionis subtilitate et varietate munitus tanta inde emendationis et interpretationis beneficia in eum contulit, ut neque homini neque libro unquam satis dignas gratias agere posse videamur. Iure enim Manilii sospitator nuncupari potest. Bentleius autem, et Lipsiensem nactus et Vossianum, minus iam eius auctoritati tribuens, neque tamen, ut videtur, de eius fide quidquam suspicatus, modo hinc modo illinc, ut singulorum locorum corruptela desiderat, auxilia expetit. In meos vero usus codicem Bruxellis comparaturus Theod. Oehler, deinde quaedam mea verba non recte interpretatus, exscribere destitit; ac quum errorem resarcire vellem, praematura morte et omnibus bonis literis et mihi ereptus est. Verum quum et Scaligeri et Bentleii et Jacobi Susii ad N. Heinsium delatis excerptis uterer, tum autem fallacem codicis naturam satis mihi perspexisse viderer, non id tantopere dolendum esse arbitratus sum, quod eius opes mihi erant praecisae.

Alterum autem codicem nunc Bruxellensem, nr. 10699, olim Cusanum, idem vir doctus diligenter contulit. Est autem is

„cod. membr. fol. min., saeculo XII, characteribus minutissimis binisque columnis exaratus;” ut ipsa Th. Oehlerii verba referam. Inscriptio est eadem, quae Lipsiensis: ARATI PHILOSOPHI ASTRONOMI | CON. LIBER PRIMVS INCIP. PRELIBATIO||. Indoles vero eadem plane, quae eiusdem Lipsiensis, postquam correctoris licentiam passus est. Nihil igitur ad carmina restituenda magnopere profuit, hactenus autem memorabilis, quia, ad quod seculum ea interpolatio recurat, testatur.

Eiusdem fere ordinis est Vossianus primus, qui in bibliotheca Leidensi sub nr. 18 asservatur. Liber papyraceus, et seculo, nisi fallor, XV vel XVI scriptus est, quamquam antiquam scripturam imitatur. Inscribitur plane ut Cod. Cusanus, nisi quod manus recentior, inductis ARATI PHILOSOPHI, addidit: *Marci Manilii*, et in margine: *Ad Caes. Aug.* Is igitur codex Cusani similis est, ac tamen alius; nam prima in parte miro quodam modo, in minimis etiam erratis, saepe cum Vossiano secundo consentit. Hunc etiam librum summa diligentia ipse exscribere totum potui.

Per hos fere descensus sensim ad eos libros venit, quos plane ac rudi ingenio interpolatos omnes ante Scaligerum Manilii editores expresserunt. Eo in numero Parisinus est et Oxoniensis; quos iure spreuit Bentleius, admiratus est Elias Stoeber. Ego eorum indolem et ingenium ita mihi optime referre videbar, si unius alicuius exemplaris plenam varietatem proponerem. In quo quum magna electio esset, ceteris editionem Antonii Molinii Matisconensis praetuli, quae et rarissima est et saepe sui desiderium movit, quia ex antiquo codice fluxisse dicitur; quod nequaquam ita se habet. Eius igitur editionis lectiones sub sigla A (quia *antiquas* editiones refert) notatas habes. Sequitur sub litera S. recensio Scaligeri. B. coniecturas Bentleii continet. V. praecipuas, sed paucas, lectiones eorum codd., quos ego secutus sum, cum brevi meo iudicio amplectitur ita, ut V. I, Vos-

sianum primum, V. 2, secundum, L. Lipsiensem, G. Gemblacensem, C. Cusanum denotet. Hoc tamen semper curavi, ut eos omnium librorum errores, qui et in classe deteriore et ab antiquis editoribus ante Scaligerum correcti essent, enotarem. Nam ne eorum quidem laudes, qui sub lit. A. comprehenduntur, inique erant tacendae. Sed quia eligere praecipua invidiosa res est, et lectoris et mihi consultum esse videtur, si hic primorum versuum plenam varietatem proponam, quo, an recte elegerim, pateat.

Arati philosophi astronomicon L. V. I. C. (Marci Manilii — ad Caes. Aug. V. I. a m. sec.) nulla inscriptio in G. Marci Mallii EQVOM astronomicon divo oct quirino augl (l. II. Marcii Mallii, l. III. Marci Mallii boeni astr. l. IV. M. Mallii. l. V. inscr. nulla. Marcii Mallii Antiochi Boemi Astronomicon etc. collat. Spanhemii) V. 2. Prelibatio L. V. I. C. proemium V. 2.

1. *artes* V. 1. L. G. C. *artis* V. 2. v. 2. *du'isos* V. 2. *homi* V. 2. v. 3. *mdo* V. 2. v. 4. *monēr* V. 2. v. 5. *nutantis* V. 1. L. C. *mutantis* V. 2. *nutantes* G. *viridia* (a eras.) L. v. 6. *hospita* l. *nova* L. C. v. 7. *princeps* V. 2. *paterque parensque* G. v. 8. *augusteis* V. 2. v. 11. *propiisque* V. 1. C. *propriisque* V. 2. (*propriosque* coll. Sp.) *mundum* V. 1. 2. C. *mundus* (sed in rasura) L. v. 12. *aetherios* V. 1. C. L. *heterios* G. v. 13. *vacat* G. *vocat* l. *ad hoc nos invitat sub pace tua* L. v. 14. *in menso* L. *spacientē* V. 2. v. 18. *regat* inducit V. 2. *generatque* V. 2. v. 19. *modulame* V. 1. 2. *numerum* l. *in metrum* L. v. 20. *postis* (vel *poscis*) *lucē* V. 2. v. 21. *Ac* V. 2. v. 23. *circumscribit* V. 2. v. 25. *Quem* l. *mundum* L. *internis* V. 1. *in ter nis* V. 2. *lucuit* C. v. 26. superscr. *vel Munere* a m. pr. G. *cum dentibus* V. 1. v. 29. *In vitis* L. C. *discuperet* V. 1. 2. ad v. 30. *Invocatio* L. C. *Laus mercurii* V. 2. *autorque* V. 2. v. 31. *int'ris* V. 2. v. 32. *Sublimis* omnes. v. 33. *per inan* V. 2. v. 34. *pondere* V. 1. v. 36. *sedet* V. 2. v. 37. *quam max.* L. C. G. *q̄* V. 1. *q'* V. 2. v. 40. *Et nata-*

ruque (superscr. *vel natura*) L. *naturaque ded.* V. 1. C. (hic in marg. a pr. m. *et natura*) *Neutra quedit* V. 2. *recludit* V. 2. v. 41. *Regales* l. *philosophos* L. v. 42. *tangentis* ceteri; *tangentes* G. v. 43. *Que* V. 1. 2. C. v. 44. *nilus* ceteri; *nilos* V. 2. *in undat* L. V. 1. v. 47. *uata* V. 2. v. 46. *Tunc* omnes. v. 48. *ipse* V. 1. 2. *ipsa* L. (sed supra scr. *ipse*.)

v. 49. *Numeris* V. 1. *Muneris* V. 2. *accendet* V. 1. 2. v. 50. *ipse deus ostendit se in specie* (*speciem* C.) *dei* L. C. v. 51. *Hitaricum memēr* (*incivere* Sp.) V. 2. *mover* V. 1. v. 63. *signār* V. 1. *signare* V. 2. v. 54. *per plexi secula* V. 1. 2 v. 55. *Stat sua cuique dies* rubr. in marg. V. 2. v. 56. *legos* V. 1. *longas quaque* V. 2. *valere* V. 1. 2. v. 57. *discr. more* V. 1. 2. v. 58. *Speciaes* (inducta a) L. *celum* V. 1. v. 59. *Praecepta* sc est L. *redita* V. 2. v. 61. *arcem* V. 1. v. 62. *longet* V. 1. *Experientia fecit artem* marg. V. 2. v. 63. *Dependet* V. 2. *dnaritia* V. 2. v. 65. sc. *deprendit ipsa astra discernere vices fatorum certis signis* L. C. v. 69. *latea* V. 2. Sic fere ubique in hac diphthongo V. 2. peccat, si quando ea, quod quidem raro fit, utitur; plerumque enim *e* habet.

Praeter hos libros Bentleius alio, Veneto, ex bibl. Marciana, ut eius epistola ad Richterum testatur, usus est. Quem quum aperte atque audacter interpolatum statim viderem, accuratius tamen novisse cuperem, frustra fui. Nam neque J. Bekkeri neque Ottonis Jahni voluntas cum ibi codicem indagare potuit, sed alium papyraceum (appendix cod. LXIX. XCVIII, 5) saec. XV, in fol.; ex quo quae illorum virorum praeclara benignitate excerpta ad me venerunt, nihil inde auxilii peti posse abunde monstrarunt; quamquam non malus liber esse videtur, sed Cusani et Vossiani primi similis.

Neque in eo cod. inquirendo se continuit Jahni voluntas; sed hos praeterea libros Italico suo itinere in usum meum inspexit.

Cod. Vatican. n. 5160, papyr. in forma quart. min. script. an. 1469 sine inscriptione.

Cod. Vatican. n. 3099, papyr. fol. saec. XV vel XVI. L. I. et II ad vs. 26. inscript: M. Mallii poetae Illustris ad Octavianum Augustum Astronomicum Liber primus incipit feliciter.

Cod. Urbinas. n. 668 (802) pergam., 4to, nitidissime script. sec. XV. inscript: Marci Manilii Boeci astronomici liber primus incipit.

Cod. Urbinas n. 667 (803) pergam., 4to, eodem tempore, sed minus pulchre exaratus; inscript: M. Manilii Astronomicum liber pr. incipit.

Cod. bibl. Laurentianae plut. 30, 15 (Bandini cat. II, p. 75.) pergam., 4to, saec. XV nitide scriptus: Marci Manilii poetae clarissimi astronomicum ad Caesarem Augustum liber primus. In fine: „Marci Manilii mathematici vita” addita est; quae quum ad Plinii H. N. XXXVI nos dimittat, unde notus ille error de Manlio mathematico natus est, nihil veri dignumve habet, quod exscribatur.

Hos igitur cunctos libros quamquam ex excerptis benigne ad me datis Vossiani simplicitatem nullo modo attingere videbam, quosdam tamen accuratius perpendere cupiebam; verum quum interprete Jahnio id egissem, atque quidam eius amici eam curam in se recepissent, nihil tamen deinde, quamquam plus semel in spem erigebar, ad me pervenit. Futuris igitur Manilii interpretibus coactus hanc provinciam relinquo, ut, quid inde fructus ad eum redundare possit, quod non sane magnum esse sentio, experiantur.

Nam reliquos quidem codices, quorum nulla in notis mentio facta est, deteriores quidem omnes, satis ex aliorum studiis novimus; veluti Palatinum, non eum malum, ex castigationibus Francisci Iunii, Parisiensem ex stoliditate Stoeberi, Oxoniensem ex collatione, quae inter Santenii libros Berolini asservatur, sub

Nr. 95, non illa quidem accuratissima, sed quae tamen libri indolem satis aperiat. Legitur autem eo in volumine a fol. 1. ad fol. usque 25. In eodem volumine haec praeterea inveniuntur. a pag. 26 ad 35: „Excerpta ex Manilio Jacobi Susii D. F. P. N. quem Aquisgrani utendum habui a Rev. V. Carolo Proteo. Editio erat Comeliniana cum notis Scaligeri ac Iunii.” Exscripta sunt a N. Heinsio, qui ipse suas quasdam margini notas appinxit. Susius etiam non solum V. L. excerpserat ex Gembl., sed explicationes quoque et coniecturas suas eruditas admiscuit. Speciminis ergo haec sint: I, 772. qui fabricaverat illum] hoc est, qui suis praeceptis ac sermonibus Platonem instituerat et formaverat quantusquantus est. Aequae sane ab insolentia translationis laborat frenandi verbum ap. Valer. Flaccum l. VI. et ingentis frenator Sarmata conti. N. Heins. ad vs. I, 886 haec adscribit: et *funera* deerant] leg. *munera*. Nic. Heins. i. iusta suprema. Ovid lib. VIII. Met.

Fol. deinde 36 ad 38 occupant notae P. Burmanni, pleraeque ad refutandum Bentleium institutae. Velut: I, 11, Jamque favet, Francius [i. e. iam ante Bentr. ita P. Francius coniecerat.] 22. certa *cum*, ita Paris. 25. cognoscere *caelum* munere *caelestum*, quam elegans hoc? v. 44. secat gentes. Romanum imperium et Parthicum. Sic Lucan. VIII. 290. qui saepe *secare* de fluviis. ponuntur gentes pro terris saepe. v. Ovid. I. Met. 279. inf. 223.

A Fol. 39 ad 51 sequitur epistola de Manilio Dorvillii, infesto in Bentr. animo scripta. plerasque autem castigationes postea in Charitonis editionem transtulit. Ceterum hoc exemplar ab homine imperito vitiosissime transcriptum est.

Fol. 59 ad 199 magnam molem coniecturarum a Jo. Schraderi ingenio profectam continet, quae pro illius seculi more infinitam lectionem, versutam ingenii agilitatem, multiplicem eruditionem testantur, sed raros nobis fructus tulerunt, ut qui non

ingenio ludere sed vera quaerere velimus. Exempla haec sunt: I, 318. cf. Arat. 315. cur *caeli*? an caelum Zodiacus? f. Phoe-bique; an Cancrī? I, 415; I, 380. 328. *fronte*, an fronde, flore? Manil. V, 117. f. falce. Carr. A. L. 3, 19. 330. desertae ^{servans} _{signans} monumenta. annon Bacchi? 405. nec torrens frigore. 407. Nec varium. 521. vario sol igneus orbe. Arat. 329: *ποικίλος, ἀλλ' οὐ πάντα πεφασμένος*. 451. an: Axis quae mundum stridenti cardine torquet. 455. quibus? sideribus? an versus spurius? 502. *reddere* an pergere? miror hominem doctum. redduntur proprie praecepta, dictata cf. Hor. Epp. II, 1. Sic bis totam Bentleii editionem retractavit.

Ex eadem bibl. Berolinensi praeterea Vossiani utriusque collationem ab Ezechieli Spanhemio ad Windsoram an. 1679 in villa Vossiana excerptam accepi. Asservatur inter libros Spanh. sub nro. 44, et a fol. 46 incipiens pergit ad fol. 72. Sed quamquam dubitari vix potest, quin eosdem quos ego libros contulerit, id tamen unde explicem haereo, quod titulum operis esse ait: Marci Mallii Antiochi Boemi Astr. etc. Accedit, quod idem Sp. multas Is. Voss. adnotationes adscribit, quas in margine esse dicit, quum tamen in neutro codice eo, quos ego lectitavi, quidquam margini sit appictum. Sed fortasse marginem intelligit ed. Scal., cui adscripta collatio erat.

Denique ex bibl. Gottingensi duo Manilii exemplaria ad me data sunt, alterum ed. Scal. Arg. 1655, quae illic inter Auctt. class. latt. nr. 1366 est, et cui notae Petr. Francii adscriptae sunt; alterum ed. Scal. an. 1600 (nr. 1365 inter auctor. class. latt.) cui Joh. Hildebr. Withof suas coniecturas adpinxit et librum suum *πῆμα* vocat an. 1717. Is liber deinde, ut in fronte adscriptum nomen testatur, in manus Bentleii venit, atque huius margini ea appicta Vossiani secundi collatio est, quam supra Bentleianam commemoravi. Unde non minima me admiratio cepit, quum non

paucas et interdum praestantissimas emendationes iam dudum occupatas a Withofio viderem. Sunt autem fere hae: II, 20: Pallas; III, 561, veniat; IV, 17, Hinc; 157, in amore; 424, curritve; 445, par; 781, Eligit; 825, die; 918, pateatque; V, 133, Nutrimenta; 153, fractique; 283, fracturo silici; 330, modulos; 362, gerant, et 63, claudant; 469, Cepheus; 609, remeavit; 621, superbo; 737, respublica mundo, Hanc. Idem tamen Bentleius, quod non minus mireris, vs. 404 libri V, Censibus aequantur conchae rapidumque notari, intactum reliquit, quum tamen Withofius emendo, inquit, feliciter, *lapidumque notori*; Bentleii autem ad eum versum haec inchoata, ut videtur, nota additur: „Transiliit hunc locum Scaliger ut desperatum. Pro *quisquam* Gemblacensis *unquam*; pro *notari* Lipsiensis et Vossianus *notori*.” Ex his, ut ex multis aliis, satis apparet, Bentleium fastidio correptum nondum ultimam operi manum imposuisse, cum nepoti copias suas edendas permitteret. Praeterea facile accidere solet, ut duo ingenia idem excogitent; veluti mihi accidit, ut cum haec scripturus rursus utrumque librum evolverem, tunc demum viderem, Withofium etiam IV, 890, coniectasse *motu*, et V, 138, *pernices*.

Has igitur copias multas et praeclaras tanta diligentia excussi, quanta et propter poëtae difficultatem et propter animum gratum, quem ea benignitas merito provocabat, debebam. Neque minus industriae consumpsisse mihi videor in conquirendis et lectitandis eis omnibus libris, in quibus vel data opera vel praetereundo de Manilio tractatum est, speroque nihil fere insigne usque ad novissima tempora et Jos. Merkelium me latuisse; nisi quod unum neglexi; ex Wakefieldii enim editione Lucretii, in qua saepe ad emendandum Manilium digreditur, tum quum propter particulas eam Regimontii, anno 1823, terebam, nihil exscripsi.

Iam de ipso poëta quod doceam, nihil certius habeo, quam quae anno 1832 in Lubecensi Programmata proposui. Nam quo

tempore eius poëma conscriptum sit, satis certa indicia sunt. Primumque librum non diu post cladem Varianam finitum dicas; quamquam enim eam cladem ita inducit, ut iam aliquod tempus effluxisse videatur: *ut foederē rupto quum fera ductorem rapuit Germania Varum* — nam per *tum quum* non quae proxime acciderunt describimus, in recenti tamen poëtae memoria fuisse debet, quum infesta eius quaedam omina mihi non nota significet, quibus declinari potuerat. addit enim: *Saepe domi culpa est: nescimus credere caelo*. Praeterea cum librum quartum finiret, in vita fuit Augustus. Omnes enim libri meliores in futuro consentiunt: *Maius et Augusto crescet sub principe caelum*. Nondum igitur vera apotheosi inter deos receptus. Redierat tamen iam ex aliquo tempore in gratiam cum Tiberio; nam Rhodius secessus cum aliqua laude commemoratur diu invidiosissimus; iidemque versus nondum successisse patri eundem demonstrant: *Virgine sub casta felix terraque marique Est Rhodus, hospitium recturi principis orbem*. Praesentis, credo, seculi felicitatem laudaret, si iam imperium fuisset adeptus; sed in eius societatem acceptum tum iam fuisse ex his verbis concludas. Quintum tamen librum sub Tiberio scriptum esse probabile est. Nam *Pompeia monumenta*, vs. 510, quae *semper recentia flammis* dicuntur, de theatro Pompeii interpretor, quod igne fortuito haustum se exstructurum Tiberius pollicitus est, quod nemo e familia restaurando sufficeret, manente tamen Pompeii nomine; ut ait Tacit. Ann. III, 22. Nam quod id opus Tib. imperfectum reliquit, Suet. Tib. c. 47, nihil poëtam impedire potuit, quominus hanc in eum laudem poëtarum more conferret. Factum id autem est anno p. Chr. 22. Atque ipsum etiam huius libri exordium aliquid spirare videtur, quod intermissum aliquamdiu studium testetur: *Hic alius finisset opus* etc. Id quoque accedit, quod hic liber facta atque rotunda oratione ceteris praestat; quamquam hoc idem de tertio et quarto dicendum est: crescere sensim et augeri poëtae artifi-

cium. Quo magis mihi persuadeo, et hominem fuisse peregrinum neque poema unquam finitum. Nam multa sunt, quae passim in notis observo, quae incohatum neque perpolitum carmen coarguant. Veluti I, 193 vel absurda ei sententia excidit. Nam cur absurda quaeque ab interpolatoribus venisse dicamus? Nostris etiam temporibus non ab interpolatoribus multa et fiunt et scribuntur absurda. Alia vero, quum saepe liberrime fluat oratio, tam impedita sunt et obstructa, ut non iniuria primo impetu esse fusa iudices, velut I, 455; maxime tamen in libro primo et secundo. Accedit aliud. Nam in libris primis non semel Tiberium in insula Rhodo latitantem Romanisque invisum carpsisse poetam animadverto; vide quae dixi ad II, 290; et adde, sis, libri primi ultimum versum: Cumque (Roma) deum caelo dederit, (Augustum) *non quaerat in orbe*; i. e. ne careat ipsa successore imperii terrestri. Quod non, credo, addidisset, si Tiberius iam tum in spem successionis venisset aut expetitus fuisset a populo. Quod si verum est, non sane ea odii vestigia reliquisset tum, quum ille ad imperium venerat, si carmina ultimam manum essent experta.

Peregrinum autem fuisse et alii ante me multi putarunt et ego arbitror. Multa enim apud eum a consuetudine et illius aevi et omnis Latinitatis absona inveniuntur, quorum ampla vestigia index adiunctus exhibet. Utrum autem homo Asianus fuerit, quod Bentleio visum est, an Afer natione, quod mihi diu videri solebat, incertior quam quondam haereo. Novam de eo coniecturam nuper proposuit in Ovidii Ibide R. Merkel; quae quamquam sagaciter excogitata et argute defensa est, mihi tamen nondum probabilis facta est.

In hac igitur tanta rerum gravissimarum ignorance, ad quam librorum insignis depravatio accedit et interpolatio varia, nemo facile improbaverit, quod in eximendis eis, quae vitiosa videri poterant, cautissimus esse volui; praesertim cum rerum astrono-

micarum non peritissimum poetam viri eius artis prudentes dum iudicarint. Nam si linguae legibus eum saepe vim ipsum afferre videmus, si rebus errantem eundem alii commonstrant, si tanta praeterea est orationis inaequalitas, ut modo libero volatu sese efferat, modo licenter verbis abundet, ac non quid velit dicere, sed quo abripiatur, trahi videatur, modo aridissima rerum ieiunitate per inanes artis numeros evagatus nos defatiget, modo constipatis fabularum aenigmatis vix ex miro verborum involucro enucleandis nos exerceat; quis tantae confidentiae esse possit, uti singulis quibusque locis hoc a poeta esse erratum, hoc a librariis peccatum tanquam de tripode respondere velit? Itaque aliis interdum iusto timidior fuisse videbor, veluti mihi ipse nunc videor, quod Bentleii *Minyas* V, 44 recipere veritus sum; aliis vero etiam audacior, si desperatis aliquot locis aliquid tamen reponere malui, quam relinquere, quae omnem sensum respuerent.

In qua iudicum dissentientium verecundia eo me confirmare solebam, quod ea animi vigilantia, ea ingenii acie me usum noveram, quae ultra contendere non possent. Ac tamen quum nunc ea typis expressa video, quae mea manu descripta diu mihi sueta et familiaria fuerant, non uno in loco insigniter me dormitasse intelligo. Huc ea numero, quae notavi ad III, 104, inducenda. Praeterea a Bentleio, quantumvis arrectas aures eius disputationibus opponerem, semel tamen in apertum errorem me abripi passus sum II, 322. Ubi cum *Ter triginta*, male correpta *a*, omnes libri praebeant, ab illo *Nongentas* partes male accepi. Est autem is versus ita rescribendus: *Ter quadra triginta partes per sidera reddant*; nisi males: *tricenae*. Quod si cui audacius correctum videatur, is a librariis saepe gravius errari meminerit, ubi per numeros non plenis literis exscriptos in versus pro captu procudendos illiciuntur. Deinde, V, 50, ubi ex V. 2. *Utraque* rescripsi, *Victa* Syracusis Salamis, nunc demum

ad ipsam Manilii manum venire me video, si et ex hoc et ex ceterorum errore, *Vera*, repono: *Versa* Syracusis Salamis non merget Athenas. In eodem porro libro, 204, notandum erat, quum ceteri *quodcunque* habeant, V. 2 praebere, *quicunque*, unde multo leniore verborum structura scribendum est: Et *quaecunque* solet venandi poscere cura, In proprios fabricare dabit *venalia* quaestus. Denique, quod nunquam speraveram, libri V, versum 741 facillima coniectura sanare mihi contigit: suntque gradu per *lumina* victa priorum. Quartum et quintum siderum genus est, quod populo comparat, cf. v. 736, et unum gradum efficere dixit v. 718; haec igitur lumine ait a prioribus vinci, sicut a proceribus et equitibus superatur populus. Atque posset uno interposito *que* vera sententia restitui; sed versus durior foret, nec quales Manilius fingit: Suntque gradu *usque* per omnia victa priorum. Unum his in versibus me semper mirum habuit, quod quum hic ei spatium daretur et suo et aliorum more poetarum evagandi in laudes domus Augustae, tantum abest, ut id faciat, ut, *Principium patres retinere* vel cum offensa principis dicere audeat.

Verbo praeterea de indice monendum esse videtur. Quem quum eo consilio addidissem, ut praecipuas voces et elocutiones Manilianas contineret, deinde quum etiam aliquid explicationis desiderari viderem, anceps id munus in me recepi, ut difficiliora interpretarer. Nam quod doctos docere facile esse aiunt, aliter sentio. Quid enim ut difficile eliges? quid tanquam notum praetermites? Itaque ex animo opto, ut quae dederim, omnia grata, quae omiserim, nota videantur. Diligentiae quidem et meditationis ne in hac quidem parte quidquam reliqui. In quo meam ob causam hoc moneo: Ante omnia brevitatem decere indicem arbitrabar. itaque cum omnia ea quasi adminicula, quibus saepe ab alia verbi notione ad aliam enitendum erat, ut ad extremam plerumque longe a prima remotam veniretur, praec-

cidissem, factum est, ut saepe parum subtiliter interpretatus esse possem videri. exemplo rem transigam. ad III, 473 *cumulari damna*, dico esse *exaequari*. quod ridiculum leviter iudicanti facile videatur. Sed res ita se habet. Agit poeta sex signorum a Capricorno ad Geminos ducto exemplo de lege horarum, et quibus spatiis noctium dierumve detrimenta crescendo sua damna reparent, explicat. hinc consequens est, ut cum damna dierum noctiumque cumulentur, simul iusta ea tempora, a quibus ea signa ante accepta damna exierant, exaequantur. cum autem ea temporum exaequatio nunc doceretur, ad eam ipsam, ut recte intelligeretur, loci interpretatio verbo flectenda erat. Quapropter aequos harum rerum iudices rogatos velim, ut nihil me obiter egisse arbitrentur, sed antequam interpretationes meas exagitent, earum causas inquirent. Sed rubricas multas describere nolui; vix enim unquam cuiquam placent. Itaque singula fere omnia notavi; ex quibus qui leges indagaturus est, facile collectiones ipse instituet. Quod autem meo iudicio parum confidebam; nam in longa alicuius consuetudine ea videre et acriter sentire desuescimus quae eius maxime propria sunt; adiutore per librum certe primum usus sum Mantelsio, amico doctissimo, ad quem, si quid inde *frugis redundet*, gratiam si non omnem, at multam referri velim. De arte autem astrologica ipsa in notis tantum docere volui, quantum propter verba ab aliis impugnata debebam; nisi quod initio, ut legentes in miri hominis lectione recentes aliquo modo imbuerem, quaedam notavi, quae ad res ipsas pertinerent ab aliis pleraque iam docta. Cetera autem et ex argumenti carminibus praemissa enarratione et ex indice peti posse confido. Diagrammata tamen quaedam addenda curavi, quae planius et melius docent, quam verba longa.

Restat, ut lecturos rogem, ut graviora quaedam peccata, quae in carminibus et notis relictas sint, levioribus missis benevole corrigant. Quum enim bibliopola, quantumvis sedibus di-

stamus, liberalissime tamen singula folia ad me mittere vellet, mature tamen ingravescente per hiemem oculorum imbecillitate impeditus sum, quominus ultimam manum corrigens ipse imponerem. Haec igitur in carminibus corrige:

Pag. 40	v. 845	post menta	adde	;
— 43	— 99	- campos	-	;
— 52	— 169	- dolent	-	;
— 69	— 559	- ipse	-	.
— 75	— 691	- artem	-	,
— 96	— 182	diei, non dici		
— 97	— 187	forte, non fonte		
—	— 205	post orbe	adde	.
— 104	— 361	- currit	-	.
— 108	— 427	superatur, non superantur		
— 114	— 571	Nemeaeae, non Nemeae		
— 115	— 584	Et, non Ei		
— 117	— 620	aestivae, eon aestiva		
— 123	— 80	vertere, non vortere		
— 124	— 109	praemia, non proemia		
— 126	— 143	iugum, non ingum		
— 127	— 171	praedas, 172 census,	ordine mutato	
— 132	— 269	post sequuntur	adde	.
— 133	— 299	- gentes	-	.
— 134	— 331	recipit, non recipis		
— 137	— 401	quantae, non quanta		
—	— 403	pudeat, non pudent		
—	— 409	tolle punctum post, est		
— 140	— 476	post partes	adde	.
— 145	— 557	- urbes	dele	.
— 146	— 577	- libido	adde	.
— 151	— 598	- uno	dele	,
— 152	— 703	- exit	adde	;
—	— 726	Nemeaeae, non Nemeae		
—	— 730	colore, non calore		
— 154	— 752	post natate	adde	.
—	— 758	- ignis	-	;
— 155	— 772	coeunt, non cocunt		
—	— 789	Italiae, non Italia		
— 156	— 799	post arva	adde	.
— 159	— 851	Luna, non Lima		
— 163	— 10	semel, non semet		
— 168	— 112	post virtus scribe, non		.
—	— 118	- partes	dele	,
—	— 125	greges, non greges		
— 174	— 239	fronde, non fronte		
—	— 254	tribuent, non tribuet.		

In notis.

Pag. 6	l. 7	ab init. ante sumptum	adde v. 130
— 32	— 6	a fin. referes, non referres	
— 53	— 5	ab init. v. 191, non 189	

- Pag. 60 — 7 ab init. v. 347 non 352
 — - — 3 a fin. exputo, non expungo
 — 66 — 2 - - Manilii, non Manilia
 — 74 — 10 ab in. post iuvenis adde L. V. 1. et post pingitur L.
 — - — 10 a fin. iusto, non iusta
 — - — 7 - - habet, non habent
 — 81 — 7 - - alit, non alis
 — 83 — 9 ab in. fort., non fors
 — 107 — 6 a fin. quinti. vitium.
 — 115 — 7 ab init. v. 571, non 572
 — 122 — 11 a fin. Varronemque, non Varrum
 — 123 — 2 - - Helenum, non Helenam
 — 124 v. 87 adde: invicta devictum omnes. corr. Scal.
 — 130 — 7 ab init. imbrifero L.
 — 153 — 4 a fin. Aeg. iam, non Aegiam
 — 157 — ult. tenorem omnes.
 — 164 — 6 ab in. v. 30 et 31, non 31 et 32
 — 166 — 5 a fin. labit. sic
 — 172 — 3 - - quod habent V. 1, non V. 2.
 — 174 — 1 et 10 v. 236, non 237.
-